



# Disputatio juridica inauguralis de acquirendo rerum dominio

<https://hdl.handle.net/1874/341648>

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGVRALIS,  
DE  
**ACQUIRENDO RERUM  
DOMINIO.**

Q V A M

FAVENTE DEO OPT. MAX.  
*Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. ANDREÆ ESENII,**

SS. Theologiæ Doctoris, & in Alma Academia Ultrajectina ejusdem facultatis Professoris,  
ibidemque Pastoris vigilantissimi.

N E C N O N.

*Ex Amplissimi Senatus Academicci Consensu, & Celeberrima  
Facultatis Iuridica Decreto,*

Pro gradu Doctoratus, & Privilegiis in U. J. consequendis.  
*Publicè sine Praeside defendet.*

**FRANCISCUS** vander LEE, Delph. Batav.  
*Addiem 2. Octobris, horâ locoque solitis.*



ULTRAJECTI,  
Apud MEINARDUM à DREUNEN,  
ANNO c̄l̄c LVI.

*Gravissimo, & Spectatissimo*

*V I R O.*

D. THEODORO vander LEE,  
Inclytæ Delphensium Reipublicæ  
Senatori, & ex Scabino, Magnèque  
Piscaturæ Marinæ Quæstori fidelis-  
fimo, Patri omni honore, & amore  
prosequendo.

*Hæc theses Inaugurales*

*Offert*

FRANCISCUS vander LEE,

*Auth. & Ref.*

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGVRALIS.  
DE  
ACQUIRENDO RERUM DOMINIO.  
T H E S I S I.



E nobilissimajuris de *Acquirendo Rerum Dominio* materiâ disputaturus , ut ordine fiat ab ipsa definitione exordiar. Est autem Dominium jus, quo res alicui est propria , ita ut de eâ libere posset disponere l. in re 21. C. mand. nisi jure, vel conventione, vel testamento prohibeat. l. ult. C. de reb. alien. non alien. Sed ne in infinitum hæc excrescat Disputatio, id , quod maxime controversum est proponam. Occurrit hic quæstio satis trita, an scilicet unius rei possint esse plures Domini in solidum ? Quod nego per l. 5.5. ult. ff. commod.

I I.

Dominium dividitur in Naturale, quod habet uxor in dote, & civile quod maritus l. pen. C. de jur. dot. Porro in plenum, cum quis est Dominus quo ad proprietatem, quo ad usumfructum, & quo ad omnes partes, vel non plenum, cum vel proprietas , vel ususfructus , vel rei pars de est : l. 10. 6. 3. & l. 39. ff. b. t. Non tamen divisionem, quam vulgus facit in directum & utile probare possum. Cujac. 11. obs. 35. Don. 9. com. 14.

I I I.

Dominium acquiritur : vel Jure Gentium , vel jure Civili l. 1. ff. hic & 5. singulor. Inst. de rer. divis. jure gentium septem præcipue modis : ut per occupationem : accessionem : specificatio-

nem : confusionem : commixtionem : fructuum perceptionem  
& denique traditionem : tot. tit. Inst. de rer. divis. De singulis or-  
dine.

I - V.

Occupatio est apprehensio rerum, quæ sunt vel alicujus, ut  
plurimum tamen nullius: quo ad animalia consistit proprie vel in  
venatione, vel in pescatione, vel in aucupio. De venatione quæ-  
ritur, an ea recte jure Feudali ut etiam moribus, privatis sit inter-  
dicta? Affirmandum id videtur per vers. nemo retia de pace tenend.  
§. 4. idque propter quatuor rationes, quas videre licet apud We-  
sem. in parat. h. t. num 7. Schneidw. Vult. & alios ad §. fera Inst. de  
rer. divis.

V.

Quæritur porro, an capta in alieno solo Domino prohibente fi-  
ant capientium? Concedo: feras enim sunt nullius, ergo concedun-  
tur occupanti. l. 3. §. item feras ff. de acquir. rer. possess. & illic  
Duar. in comm. Wesemb. & alii in §. fere Inst. de rer. divis. nec me  
terret Cujac. q. obs. 2.

V I.

Occupatio hominum fit per captivitatem: hostis enim bello  
captus fit servus capientium §. item ea Inst. de rer. divis. §. 4. Inst.  
de jur. Pers. Sed recte Christiani Principes servitutem sustule-  
runt. Ea vero occupatio est probanda, quâ res hostium bello  
captæ occupantis sunt. Sed quæritur, quisnam earum rerum sit  
Dominus, miles, an vero Res publica? Affirmatur posterius l. 10.  
§. 1. ff. de capt. & postlim. revers. l. 31. ff. de jur. fisc.

V I I.

In aucupio idem est quod in venatione, vel pescatione. In exa-  
mine apium hoc singulare est, quod tam diu maneat domini at-  
vei, ex quo evolavit, quandiu in conspectu ejus est, nec difficilis  
est persecutio, §. 14. Inst. de rer. divis. Estque & aliarum rerum oc-  
cupatio, uti fit in littoribus, in insulâ, in mari. §. 5. & 22. Inst. eod.  
in thesauris, in loco religioso, sacro, vel proprio inventis, aliis-  
que rebus, quæ in tit. Inst. de rer. divis. continentur. Etiam in rebus  
pro derelicto habitis: verum hic quæstio oritur, an iacta levandæ  
navis

navis causa Dominorum maneant? quod negare crimen est, af-  
firmat enim l. 8. ff. ad l. Rhod. de jact.

V I I I.

Sequitur accessio, quæ res alicui rei cedit propter præminen-  
tiam. Quæ sit naturaliter per alluvionem, cum ita paulatim quid  
agro tuo adjicitur, ut videri non possit, quantum quoquo tem-  
poris momento adjiciatur. Si vero vi fluminis pars tuo agro de-  
tracta & vicini agro adjecta sit, dominio non excidis. Nisi lon-  
giore tempore fundo vicini adhæserit, & arbores, quas secum  
traxit in eum fundum radices egerint: §. 20 & 21. Inst. de rer. divis.

I X.

Sic & insula in mari nata occupantis sit, influmine vero nata  
eorum est, qui prope ripam prædia possident. Si in medio flu-  
minis sit orta, communis est ab utraque parte fluminis prædia  
possidentium l. 7. §. insula ff. b. t. ubi controvertitur, si flumen de-  
relicto alveo novo in veterem redeat, an novus restituatur do-  
minus ex cuius agro factus erat? Neg. §. quod si naturali. Inst. de  
rer. divis. l. 30. ff. b. t. affirm. l. 7. §. quod si toto l. 30. §. allu-  
vioff. cod. quamquam Cujac. 6. obs. 1. & alii desperent de con-  
ciliatione: causam tamen desperationis non video.

X.

Jam de specificatione, quæ definitur, confectio novæ speciei  
ex aliena materia, ut si ex alienis uvis, aut olivis, aut spicis vinum  
aut oleum, aut frumentum sit factum, aut ex alieno auro, vel ar-  
gento vas aliquod. Ubi queritur, quis sit naturali ratione eorum  
dominus? Distinctione res temperanda est. §. 25. Inst. de rer.  
divis. l. 7. §. cum ex aliena l. 26. ff. de acquir. rer. dom. nec adversa-  
tur l. 12. §. quis. ff. ad exhib.

X I.

An frumentum quoque ejus est, qui id ex alienis spicis excus-  
fit? Aff. dict. §. cum aliena. Inst. de rer. divis. negat l. 7. §. cum quis  
in fine ff. de acquir. rer. Dom. sed nullum hic dissidium,

X I I.

Tabulam Picturæ cedere propter majus pretium probatur.

per §. si quis in aliena tab. Inst. de rer. divis. & l. 9. §. sed non ut ff.  
de acquir. rer. Dom. Nec rapit me in contrarium Pauli respon-  
suum in l. 23. §. 3. & de rei vind.

X I I I.

Confusio est Modus acquirendi Dominii ex unitione liquida-  
rum materiarum, unius vel diversi generis quæ spectant ad di-  
versos Dominos, facta vel fortuito, vel voluntate Dominorum;  
ut si vinum cum vino, vinum cum melle confundatur. § 27 Inst. de  
rer. divis. in hac etiam Distinctio est adhibenda ex §. 27. eod.

X I V.

Commixtio est cum diversa corpora ita commiscentur, ut sin-  
gula maneant in sua specie, uti sit in Pecoribus, & in frumento. In  
hac tali jure utimur, si ex voluntate Dominorum sit facta, omnia  
sunt communia. Si fortuitio & separari possunt singulis sua ce-  
dunt: si non commode separari queant, ut in frumento, datur u-  
trinque actio in rem, promodo, qualitate, & quantitate rei cu-  
jusque §. 28. Inst. eod.

X V.

Porro Dominium acquirimus fructuum perceptione, & hoc  
contingit, cum quis bona fide, & ex iusta causa rem alterius Pos-  
sideret quo modo omnes fructus tam industriales, quam naturales  
quis suos facit §. 35. Inst. de rer. divis. & l. 48; de acquir. rer. Dom. l.  
25. §. 1. & de usur. & fruct. nec diversum innuit. l. 45. ff. de usur.

X V I.

Si vero Malæfidei Possessor fructus percepit, non solum de  
extantibus & perceptis, sed & de percipiendis agi cum eo po-  
test. l. Dom. §. C. de rei vind.

X V I I.

Ultimo rei traditione Dominium transfertur modo ea fiat à  
vero rei domino, & animo trans ferendi domini, & ex causa  
transferendi dominii habili, puta empt. vend. donat. &c. l. 9.  
§. 3. ff. de acquir. rer. Dom. §. per tradit. Inst. eod.

## X V I I I.

Hactenus de Modis acquirendi Dominii ex Jure Gentium. Modi ex jure Civili, & maxime singulares sunt Usucapio: quæ est adjectio Domini per continuationem longitemporis possessio-  
nis lege, definiti. l. 1. ff. de Usucaptionibus, quæ ut procedat inter alia requiritur bona fides. Quæ jure Civili tantum in initio requiri-  
tur: sed rectius jus Canonicum eam omni tempore requirit:  
quod enim non est ex fide, peccatum est. Cap. 20. X. de prescript.  
cap. possessor. 2. de reg. jur. in 6.

## X I X.

Donatio, maxime cum formam à jure Civili habet, est libera-  
lis, & nullo jure cogente facta concessio s. q. Inst. de Donat. Arus-  
meus in disp. th. 12. Quæstio hic una est inferenda: an in offi-  
ciosa Donatio per querelam rescindatur in totum, an vero quo-  
ad legitimam? Posterius affirm. l. 1. 2. & 5. & seqq C. de in offic. Donat. nov. 92. & ibi Cujac. idem 5. obs. 14. Dissert. Fab. 3. cons. 17.

## X X.

Effectus Domini est plene de re posse disponere, eamque a-  
lienare: quilibet enim Dominus est rerum suarum liberrimus  
Moderator & arbiter & l. 2. C. Mand. Fallit tamen ea regula in  
Pupillis & Minoribus, qui Domini quidem sunt, res tamen suas a-  
lienare sine Tutoribus & Curatoribus suis prohibentur. s. 2. Inst.  
qib. alien. vel eod.

Corol-

# COROLLARIA.

I.

*Judex secundum acta & probata, non vero secundum conscientiam debet judicare.*

I I.

*Venditor præcise rem tradere non tenetur, sed liberatur præstando id quod inter est.*

**Ex Jure Canonico.**

*Rectius jure Civili testamenta funt præsentibus 7. testibus, quam jure Canonico coram Parocho & duobus testibus.*

**Ex Jure Feudali.**

*Non potest filius repudiata paterna hereditate feudum agnoscere, agnatus vero potest.*

**F I N I S.**